

8204

Nd
Catechismus
vcm

90-

CATECHISMUS ARTICULIQUE

RELIGIONIS,

JUXTA USUM

ECCLESIAE EPISCOPALIS REFORMATAE

IN

REPUBLICA FOEDERATA AMERICANA:

RECENSITUS

IN USUM TYRONUM

COLLEGII NEO-CÆSARIENSIS.

Philadelphiae:

EXCUDEBAT JANA AITKEN,

A. D. M,DCCC,III.

CATECHISMUS:

Hoc est,

Institutio quam unusquisque addiscere tenetur, priusquam adducatur ad Episcopum ut ab illo confirmetur.

QUESTIO. *Quod est tibi Nomen?*

Responsio. N. aut M.

Q. Quis tibi hoc nomen imposuit?

R. Sponsors mei in Baptismo, in quo factus sum membrum Christi, filius Dei, et hæres regni Cælorum.

Q. Quid sponsors tui tum tuo nomine præstiterunt?

R. Tria meo nomine promiserunt ac voverunt: Primum, me abrenunciaturum Satanæ et omnibus ejus operibus, pompis et vanitatibus hujus mundi nequam, et omnibus pravis concupiscentiis carnis: Secundum, me omnes fidei Christianæ articulos crediturum: Tertium, me sanctam Dei voluntatem et illius mandata servaturum, et in iis ambulaturum omnibus diebus vitæ meæ.

Q. An non putas te teneri ea credere et facere, quæ tuo nomine promiserunt.

R. Imo sanè; Deoque adjuvante, ita faciam. Et ex animo patri nostro cœlesti gratias ago, quod me ad hanc salutis viam vocaverit, per Jesum Christum, servatorem nostrum. Deum etiam rogo, ut me ita suâ gratiâ confirmet, ut in eâ permaneam usque ad finem vitæ meæ.

Catechistes. Recita fidei tuæ articulos.

Responsio.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ: Et in Jesum Christum Filium

J238.5

C357

VAULT

ejus unicum, Dominum nostrum; qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Mariâ Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus; descendit ad inferos; tertiâ die resurrexit a mortuis; ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis; indè venturus est judicare vivos et mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum Communionem, Remissionem peccatorum, Carnis Resurrectionem, ac Vitam æternam. *Amen.*

Q. Quid potissimum doceris in his fidei tuæ articulis?

R. Primò, doceor credere in Deum Patrem, qui me et mundum universum condidit.

Secundo, in Deum Filium, qui me et totum genus humanum redemit.

Tertiò, in Spiritum Sanctum Deum, qui me et omnes electos Dei sanctificavit.

Q. Dicebas Sponsors tuos tuo nomine promisisse, te mandata Dei servaturum. Dic mihi quot sunt illa?

R. Decem.

Q. Quæ sunt illa?

R. **I.** Ea ipsa quæ Deus tradidit capite vigesimo Exodi, dicens, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo servitutis.

I. Non habebis Deos alienos coram me.

II. Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem eorum quæ sunt in cœlo desuper, nec in terrâ deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea, neque coles; Ego enim sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia in his qui diligunt me et custodiunt præcepta mea.

III. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

IV. Memento ut diem Sabbati sanctifices, sex diebus operaberis et facies omnia opera tua: septi-

mo autem die Sabbatum Domini Dei tui est, non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare et omnia quæ in eis sunt, et requievit die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati et sanctificavit eum.

V. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

VI. Non occides.

VII. Non mœchaberis.

VIII. Non furtum facies.

IX. Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.

X. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Q. *Quid potissimum ex his mandatis discis?*

R. Duo; nempe officium meum erga Deum, et meum etiam officium erga proximum.

Q. *Quodnam est officium tuum erga Deum?*

R. Officium meum erga Deum est, ut in ipsum credam, ipsum timeam et diligam ex toto corde, ex totâ mente, ex totâ animâ, et ex totis viribus: ut ipsum colam, ipsi gratias agam, in ipso solo confidam, ipsum invocem; ipsius sanctum nomen ejusque verbum honorem; et ipsi verè serviam omnibus diebus vitæ meæ.

Q. *Quodnam est officium tuum erga proximum?*

R. Officium meum erga proximum est ut eum diligam sicut meipsum, et id, omnibus hominibus faciam, quod ab iis vellem mihi fieri: Et ut Patrem meum et Matrem meam diligam et honorem, iisque succurram: ut iis omnibus, qui auctoritate aliquâ civili pollent, obsequar; omnibus meis Superioribus, Doctoribus, Pastoribus spiritualibus, ac Præceptoribus, me ipsum subjiciam; submissè ac reverenter me geram erga omnes, qui re ullâ me antecellunt; Neminem verbo factove lædam; Fidelem ac justum

me in omnibus præstem ; neque malitiam neque odium in animo meo foveam ; Manus meas a furto et latrocino cohibeam, et linguam a maledicentiâ, mendacio, ac calumniâ : ut corpus meum temperanter, sobriè, atque castè custodiam : Bona aliena neque concupiscam neque aveam, sed discam artem ad vitam sustentandam idoneam, et in eâ gnaviter laborem ; et meo officio fungar in eo vitæ statu, ad quem Deo visum fuerit me vocare.

Catechistes. Mi puer, scias hoc, te ex teipso ista præstare non posse, neque in Dei mandatis ambulare et ipsi servire absque gratiâ illius speciali, quam omni tempore diligenter invocare discas oportet. Audiam itaque num orationem Dominicam possis recitare.

Responsio.

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum ; Adveniat regnum tuum : Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terrâ : Panem nostrum quotidianum da nobis hodie : Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem ; sed libera nos a malo. *Amen.*

Q. *Quid petis a Deo in hac oratione ?*

R. Peto a Domino Deo meo, Patre nostro cœlesti, omnis boni largitore, ut gratiam suam mihi, et omnibus largiatur, ut ipsum colamus, ipsi serviamus et obsequamur prout tenemur. Deum etiam oro ut nobis ea omnia impertiatur, quæ sunt menti et corpori necessaria ; utque sit nobis propitius, et peccata nostra nobis dimittat : ut nos etiam, versantes in quolibet periculo tam animæ quam corpori imminente, custodire ac tueri dignetur ; et nos servare ab omni peccato ac malitiâ, ab hoste animarum, et ab æternâ morte. Et hoc confido ipsum pro clementiâ ac benignitate suâ præstiturum per Dominum nostrum Jesum Christum. Ideoque dico, *Amen. Sic fiat.*

Questio.

Quot Sacramenta instituit Christus in Ecclesiâ sua ?

R. Duo tantum, quæ quidem in genere necessaria sunt ad salutem consequendam, nempe Baptismum et Cœnam Domini.

Q. *Quid intelligis per vocem istam Sacramentum.*

R. Externum ac visibile signum intelligo, internæ ac spiritualis gratiæ, quod nobis datur, ab ipso Christo institutum, tanquam medium quo eam recipimus, et arrhabonem ad nos de eâ certos faciendos.

Q. *Quot sunt partes in Sacramento?*

R. Duæ; externum visibile signum, et interna spiritualis gratia.

Q. *Quodnam est externum visibile signum, aut forma, in Baptismo?*

R. Aqua; quâ quis baptizatur, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Q. *Quenam est spiritualis et interna gratia?*

R. Mori peccato, et denuo nasci justitiæ: cùm enim simus naturaliter in peccato nati, et iræ filii, hac ratione facti sumus Filii Dei.

Q. *Quid ab iis requiritur qui baptizandi sunt?*

R. Resipiscentia, quâ deserant peccatum; et fides, quâ firmiter credant promissionibus Dei sibi factis in eo sacramento.

Q. *Qui fit itaque ut infantes baptizentur, quum ob immaturam ætatem ista præstare non valeant?*

R. Quia utrumque promittunt per sponsores suos, quod promissum tenentur ipsi præstare, postquam adoleverint.

Q. *Quamobrem Sacramentum Cœnæ Domini institutum est?*

R. Ad perpetuam memoriam sacrificii mortis Christi, et beneficiorum quæ inde percipimus.

Q. *Quenam est pars externa, seu signum, Cœnæ Domini?*

R. Panis et vinum, quæ Dominus jussit accipi.

Q. *Quenam pars interna, seu res significata?*

R. Corpus et sanguis Christi, quæ spiritualiter sumuntur et percipiuntur a fidelibus in Cœnâ Domini.

Q. *Quenam sunt beneficia, quæ inde percipimus?*

R. Animarum nostrarum corroboratio et recreatio

ARTICULI.

1. *De fide in sacro-sanctam Trinitatem.*

UNUS est vivus, et verus Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, impassibilis, immensæ potentia, sapientia ac bonitatis, creator, et conservator omnium, tum visibilium, tum invisibilium. Et in unitate hujus divinæ naturæ, tres sunt personæ, ejusdem essentia, potentia ac æternitatis, Pater, Filius, et Spiritus sanctus.

2. *De verbo, sive Filio Dei, qui verus homo factus est.*

Filius, qui est verbum patris, ab æterno a patre genitus, verus et æternus Deus, ac patri consubstantialis, in utero beatæ virginis, ex illius substantia naturam humanam assumpsit: ita ut duæ naturæ, divina et humana, integrè atque perfectè in unitate personæ fuerint inseparabiliter conjunctæ, ex quibus est unus Christus, verus Deus et verus homo, qui verè passus est, crucifixus, mortuus, et sepultus, ut patrem nobis reconciliaret, essetque hostia, non tantum pro culpa originis, verum etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

3. *De descensu Christi ad Inferos.*

Quemadmodum Christus pro nobis mortuus est, et sepultus, ita est etiam credendus ad Inferos descendisse.

4. *De resurrectione Christi.*

Christus vere a mortuis resurrexit, suumque corpus cum carne, ossibus, omnibusque ad integritatem humanæ naturæ pertinentibus, recepit: cum quibus in cœlum ascendit, ibique residet, quoad extremo die ad judicandos homines reversurus sit.

5. *De spiritu Sancto.*

Spiritus sanctus a patre et filio procedens ejusdem est cum patre, et filio essentiæ, majestatis, et gloriæ, verus ac æternus Deus.

6. *De divinis Scripturis, quoad sufficientiam ad salutem.*

Scriptura sacra continet omnia, quæ ad salutem sunt necessaria, ita ut quicquid in ea nec legitur, neque inde probari potest, non sit a quoquam exigendum, ut tanquam articulus fidei credatur, aut ad salutis necessitatem requiri putetur.

Sacræ Scripturæ nomine, eos Canonicos libros veteris, et novi Testamenti intelligimus, de quorum autoritate, in Ecclesia nunquam dubitatum est.

*De nominibus, et numero librorum sacræ Canonice
Scripturæ veteris Testamenti.*

<i>Genesis.</i>	<i>Prior liber Paralipom.</i>
<i>Exodus.</i>	<i>Secundus liber Paralipomen.</i>
<i>Leviticus.</i>	<i>Primus liber Esdræ.</i>
<i>Numeri.</i>	<i>Secundus liber Esdræ.</i>
<i>Deuteron.</i>	<i>Liber Hester.</i>
<i>Josua.</i>	<i>Liber Job.</i>
<i>Judicum.</i>	<i>Psalmi.</i>
<i>Ruth.</i>	<i>Proverbia.</i>
<i>Prior liber Samuelis.</i>	<i>Ecclesiastes vel Concionator.</i>
<i>Secundus liber Samuelis.</i>	<i>Cantica Solomonis.</i>
<i>Prior liber Regum.</i>	<i>4. Propheta Majores.</i>
<i>Secundus liber Regum.</i>	<i>12. Propheta Minores.</i>

*Alios autem libros (ut ait Hieronymus) legit quidem
Ecclesia, ad exempla vitæ, et formandos mores:
illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet,
ut sunt.*

Tertius liber Esdræ.

Quartus liber Esdræ.

Liber Tobie.

Liber Judith.

Reliquum libri Hester.

Liber Sapientia.

Liber Jesu filii Sirach.

Baruch Propheta.

Canticum trium puerorum.

Historia Susannæ.

De Bel et Dracone.

Oratio Manassæ.

Prior liber Machabeorum.

Secundus liber Machabeorum.

*Novi Testamenti omnes libros (ut vulgo recepti sunt)
recipimus, et habemus pro Canonicis.*

7 De veteri Testamento.

Testamentum vetus, novo contrarium non est, quandoquidem tam in veteri, quam in novo, per Christum, qui unicus est Mediator Dei, et hominum, Deus et homo, æterna vita humano generi est proposita. Quare male sentiunt, qui veteres tantum in promissiones temporarias sperasse confingunt. Quanquam lex a Deo data per Mosen (quoad cæremonias et ritus) Christianos non astringat, neque civilia ejus *præcepta* in aliqua republica necessario recipi debeant; nihilominus tamen ab obedientia mandatorum (quæ moralia vocantur) nullus (quantumvis Christianus) est solutus.

8. De tribus Symbolis.

Symbola tria, Nicænum, Athanasii, et quod vulgo Apostolorum appellatur, omnino recipienda sunt, et credenda, nam firmissimis Scripturarum Testimoniis probari possunt.

9. *De peccato Originali.*

Peccatum originis non est (ut fabulantur Pelagiani) in imitatione Adami situm, sed et vitium, et depravatio naturæ, cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati: qua fit, ut ab originali justitia quam longissime distet, ad malum sua natura propendeat, et caro semper adversus spiritum concupiscat, unde in unoquoque nascentium, iram Dei, atque damnationem meretur. Manet etiam in renatis hæc naturæ depravatio. Qua fit ut affectus carnis Græce *φρονιμα σαρκος* (quod alii sapientiam, alii sensum, alii affectum, alii studium carnis interpretantur,) legi Dei non subjiciatur. Et quanquam renatis et credentibus, nulla propter Christum est condemnatio, peccati tamen in sese rationem habere concupiscentiam, fatetur Apostolus.

10. *De libero arbitrio.*

Ea est hominis post lapsum Adæ conditio, ut sese naturalibus suis viribus, et bonis operibus, ad fidem, et invocationem Dei convertere, ac præparare non possit. Quare absque gratia Dei (quæ per Christum est) nos præveniente, ut velimus, et cooperante, dum volumus, ad pietatis opera facienda, quæ Deo grata sunt, et accepta, nihil valemus.

11. *De hominis justificatione.*

Tantum propter meritum Domini, ac Servatoris nostri Jesu Christi per fidem, non propter opera, et merita nostra, justi coram Deo reputamur. Quare sola fide nos justificari doctrina est saluberrima, ac consolationis plenissima, ut in homilia de justificatione hominis, fusius explicatur.

12. *De bonis operibus.*

Bona opera quæ sunt fructus fidei, et justificatos sequuntur, quanquam peccata nostra expiare, et divini judicii severitatem ferre non possunt: Deo ta-

men grata sunt, et accepta in Christo, atque ex vera et viva fide necessario profluunt, ut plane ex illis æque fides viva cognosci possit, ac arbor ex fructu judicari.

13. *De operibus ante justificationem.*

Opera quæ fiunt, ante gratiam Christi, et spiritus ejus afflatum, cum ex fide Jesu Christi non procedant, minime Deo grata sunt, neque gratiam (ut multi vocant) de congruo merentur. Immo cum non sunt facta, ut Deus illa fieri voluit et præcepit, peccati rationem habere non dubitamus.

14. *De operibus supererogationis.*

Opera quæ supererogationis appellant, non possunt sine arrogancia, et impietate prædicari. Nam illis declarant homines, non tantum se Deo reddere, quæ tenentur, sed plus in ejus gratiam facere, quam deberent, cum aperte Christus dicat: Cum feceritis omnia quæcunque præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus.

15. *De Christo qui solus est sine peccato.*

Christus, in nostræ naturæ veritate, per omnia similis factus est nobis, excepto peccato, a quo prorsus erat immunis, tum in carne, tum in spiritu. Venit ut agnus, absque macula, qui mundi peccata, per immolationem sui semel factam, tolleret, et peccatum (ut inquit Johannes) in eo non erat: sed nos reliqui etiam baptizati, et in Christo regenerati, in multis tamen offendimus omnes. Et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

16. *De peccato post Baptismum.*

Non omne peccatum mortale, post Baptismum voluntarie perpetratum, est peccatum in Spiritum

sanctum, et irremissibile. Proinde lapsis a Baptismo in peccata, locus pœnitentiæ non est negandus; post acceptum spiritum sanctum possumus a gratia data recedere, atque peccare, denuoque per gratiam Dei resurgere, ac resipiscere: ideoque illi damnandi sunt, qui se quamdiu hic vivant, amplius non posse peccare affirmant, aut vere resipiscentibus, veniæ locum denegant.

17. *De prædestinatione, et electione.*

Prædestinatio ad vitam, est æternum Dei propositum, quo ante jacta mundi fundamenta, suo consilio, nobis quidem occulto constanter decrevit, eos quos in Christo elegit ex hominum genere, a maledicto et exitio liberare, atque (ut vasa in honorem efficta) per Christum, ad æternam salutem adducere. Unde qui tam præclaro Dei beneficio sunt donati, illi spiritu ejus, opportuno tempore, operante, secundum propositum ejus, vocantur, vocationi per gratiam parent, justificantur, gratis adoptantur in filios Dei, unigeniti ejus Jesu Christi imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus sancte ambulant, et demum ex Dei misericordia pertingunt ad sempiternam felicitatem.

Quemadmodum prædestinationis et electionis nostræ in Christo pia consideratio, dulcis, suavis et ineffabilis consolationis plena est, vere piis, et his qui sentiunt in se vim spiritus Christi, facta carnis, et membra quæ adhuc sunt super terram, mortificantem, animumque ad cœlestia, et superna rapientem; tum quia fidem nostram de æterna salute consequenda per Christum plurimum stabilis, atque confirmat, tum quia amorem nostram in Deum vehementer accendit: Ita hominibus curiosis, carnalibus, et Spiritu Christi destitutis, ad oculos perpetuo versari prædestinationis Dei sententiam, perniciosissimum est præcipitium, unde illos diabolus protrudit, vel in desperationem vel in æque perniciosam impurissimæ vitæ securitatem. Proinde promissiones divinas sic amplecti oportet, ut nobis in sacris literis gene-

raliter propositæ sunt, et Dei voluntas in nostris actionibus ea sequenda est, quam in verbo Dei habemus, disertè revelatam.

18. *De speranda æterna salute tantum in nomine Christi.*

Sunt et illi anathematizandi, qui dicere audent unumquemque in lege, aut secta quam profitetur esse servandum, modò juxta illam, et lumen naturæ accurate vixerit, cum sacræ literæ tantum Jesu Christi nomen prædicent, in quo salvos fieri homines oporteat.

19. *De Ecclesia.*

Ecclesia Christi visibilis est cœtus fidelium, in quo verbum Dei purum prædicatur, et sacramenta, quoad ea quæ necessario exigantur, juxta Christi institutum recte administrantur. Sicut erravit Ecclesia Hierosolymitana, Alexandrina, et Antiochena: ita et erravit Ecclesia Romana, non solum quoad agenda, et cæremoniarum ritus, verum in iis etiam quæ credenda sunt.

20. *De Ecclesiæ Authoritate.*

Habet Ecclesia Ritus sive Cæremonias statuendi jus, et in fidei controversiis authoritatem; quamvis Ecclesiæ non liceat quicquam instituere quod verbo Dei scripto adversetur, nec unum scripturæ locum sic exponere potest, ut alteri contradicat. Quare licet Ecclesia sit divinorum librorum testis, et conservatrix, attamen ut adversus eos nihil decernere, ita præter illos, nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.

21. *De authoritate Conciliorum generalium.**

* Inter articulos supra numeratos vicesimum primum omittere visum est: propterea, quod in parte primâ ad locos quosdam et res civiles pertinet; et in cæteris nihil monemur præter eadem quæ ab articulo præcedentium quibusdam, admonemur satis.

22. *De purgatorio.*

Doctrina Romanensium de purgatorio, de indulgentiis, de veneratione, et adoratione, tum imaginum, tum reliquiarum, nec non de invocatione sanctorum, res est futilis, inaniter conficta, et nullis Scripturarum testimoniis innitur: immo verbo Dei contradicit.

23. *De Ministrando in Ecclesia.*

Non licet cuiquam sumere sibi munus publice prædicandi, aut administrandi Sacramenta in Ecclesia, nisi prius fuerit ad hæc obeunda legitime vocatus et missus. Atque illos legitime vocatos et missos existimare debemus, qui per homines, quibus potestas vocandi ministros, atque mittendi in vineam Domini publice, concessa est in Ecclesia, co-optati fuerint, et asciti in hoc opus.

24. *De loquendo in Ecclesia lingua quam populus intelligit.*

Lingua populo non intellecta, publicas in Ecclesia preces peragere, aut Sacramenta administrare, verbo Dei, et primitivæ Ecclesiæ consuetudini plane repugnat.

25. *De Sacramentis.*

Sacramenta a Christo instituta, non tantum sunt notæ professionis Christianorum, sed certa quædam potius testimonia, et efficacia signa gratiæ atque bonæ in nos voluntatis Dei, per quæ invisibiliter ipse in nos operatur, nostramque fidem in se non solum excitat, verum etiam confirmat.

Duo a Christo Domino nostro in Evangelio instituta sunt Sacramenta, scilicet, Baptismus, et Cœna Domini.

Quinque illa vulgò nominata Sacramenta: scilicet, confirmatio, pœnitentia, ordo, matrimonia, et

extrema unctio, pro Sacramentis Evangelicis habenda non sunt, ut quæ, partim a prava Apostolorum imitatione profluxerunt, partim vitæ status sunt in Scripturis quidem probati: sed Sacramentorum eandem cum Baptismo et Cœna Domini rationem non habent, ut quæ signum aliquod visibile, seu cæremoniam, a Deo institutum, non habeant.

Sacramenta non in hoc instituta sunt a Christo ut spectarentur, aut circumferrentur, sed ut ritè illis uteremur: et in iis duntaxat qui digne percipiunt, salutarem habent effectum; qui vero indigne percipiunt, damnationem (ut inquit Paulus) sibi ipsis acquirunt.

26. *De vi institutionum divinarum quod eam non tollat malitia Ministrorum.*

Quamvis in Ecclesia visibili, bonis mali semper sunt admixti, atque interdum ministerio verbi et sacramentorum administrationi præsent; tamen cum non suo, sed Christi nomine agant, ejusque mandato et autoritate ministrent, illorum ministerio uti licet, cum in verbo Dei audiendo, tum in Sacramentis percipiendis. Neque, per illorum malitiam, effectus institutorum Christi tollitur, aut gratia donorum Dei minuitur, quoad eos qui, fide, et rite, sibi oblata percipiunt; quæ propter institutionem Christi et promissionem efficacia sunt, licet per malos administrantur.

Ad Ecclesiæ tamen disciplinam pertinet, ut in malos ministros inquiratur, accusenturque ab his, qui eorum flagitia noverint, atque tandem justo convicti judicio deponantur.

27. *De Baptismo.*

Baptismus non est tantum professionis signum, ac discriminis nota, qua Christiani a non Christianis discernantur; sed etiam est signum regenerationis: per quod, tanquam per instrumentum, recte baptismum suscipientes, Ecclesiæ inseruntur; promissiones, de remissione peccatorum, atque adoptione

nostra in filios Dei per Spiritum sanctum, visibiliter obsignantur; fides confirmatur; et vi divinæ invocationis gratia augetur.

Baptismus parvulorum omnino in Ecclesia retinendus est, ut qui cum Christi institutione optime congruat.

28. *De Cæna Domini.*

Cæna Domini non est tantum signum mutuæ benevolentiae Christianorum inter sese, verum potius est Sacramentum nostræ per mortem Christi redemptionis.

Atque adeo, ritè, dignè, et cum fide sumentibus, panis quem frangimus est communicatio corporis Christi: similiter poculum benedictionis, est communicatio sanguinis Christi.

Panis et Vini Transubstantiatio in Eucharistia, ex sacris literis probari non potest. Sed apertis Scripturæ verbis adversatur, sacramenti naturam evertit, et multarum superstitionum dedit occasionem.

Corpus Christi datur, accipitur, et manducatur in Cæna, tantum cœlesti et spiritali ratione. Medium autem, quo corpus Christi accipitur et manducatur in Cæna, fides est.

Sacramentum Eucharistiæ ex institutione Christi non servabatur, circumferebatur, elevabatur, nec adorabatur.

29. *De manducatione corporis Christi, et impios illos non manducare.*

Impii, et fide viva destituti, licet carnaliter, et visibiliter, (ut Augustinus loquitur), corporis et sanguinis Christi Sacramentum dentibus premant, nullo tamen modo Christi participes efficiuntur. Sed potius tantæ rei sacramentum, seu Symbolum, ad iudicium sibi manducant et bibunt.

30. *De utraque specie.*

Calix Domini laïcis non est denegandus; utraque enim pars Dominici Sacramenti, ex Christi institutione et præcepto, omnibus Christianis ex æquo administrari debet.

31. *De unica Christi oblatione in cruce perfecta.*

Oblatio Christi semel facta, perfecta est redemptio, propitiatio, et satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tam originalibus, quam actualibus; neque præter illam unicam, est ulla alia pro peccatis expiatio. Unde missarum sacrificia, quibus, vulgo dicebatur, sacerdotem offerre Christum in remissionem pænæ, aut culpæ, pro vivis et defunctis, blasphema figmenta sunt, et perniciosæ imposturæ.

32. *De conjugio Sacerdotum.*

Episcopis, presbyteris, et diaconis, nullo mandato divino præceptum est, ut aut cœlibatum voveant, aut a matrimonio abstineant. Licet igitur etiam illis, ut cæteris omnibus Christianis, ubi hoc ad pietatem magis facere judicaverint, pro suo arbitratu matrimonium contrahere.

33. *De excommunicatis vitandis.*

Qui, per publicam ecclesiæ denuntiationem, ritè ab unitate ecclesiæ pæcisus est et excommunicatus, is ab universa fidelium multitudine (donec per pœnitentiam publice reconciliatus fuerit arbitrio Judicis competentis) habendus est tanquam Ethnicus et publicanus.

34. *De traditionibus Ecclesiasticis.*

Traditiones atque cæremonias easdem, non omnino necessarium est esse ubique, aut prorsus consimiles. Nam ut variæ semper fuerunt, et mutari possunt, pro regionum, temporum, et morum di-

versitate, modò nihil contra verbum Dei instituat.

Traditiones et cæremonias Ecclesiasticas, quæ cum verbo Dei non pugnant, et sunt autoritate publica institutæ atque probatæ, quisquis privato consilio volens, et data opera, publice violaverit, is, ut qui peccat in publicum ordinem Ecclesiæ, quique lædit autoritatem Magistratus, et qui infirmorum fratrum conscientias vulnerat, publice, ut cæteri timeant, arguendus est.

Quælibet Ecclesia particularis, sive Nationalis, autoritatem habet instituendi, mutandi, aut abrogandi Cæremonias, aut ritus Ecclesiasticos, humana tantum autoritate institutos, modo omnia ad ædificationem fiant.

35. *De Homiliis.*

Tomus secundus Homiliarum, quarum singulos titulos huic articulo subjunximus, continet piam et salutarem doctrinam, et his temporibus necessariam, non minus quam prior Tomus Homiliarum, quæ editæ sunt tempore Edwardi sexti: Itaque eas in Ecclesiis per ministros diligenter, et clare, ut a populo intelligi possint, recitandas esse judicavimus.

De nominibus homiliarum.

Of the right use of the Church.

Against peril of idolatry.

Of the repairing and keeping clean of Churches.

Of goodworks,

First of fasting.

Against gluttony and drunkenness.

Against excess of apparel.

Of Prayer.

Of the place and time of prayer.

That Common Prayers and Sacraments ought to be Ministered in a known Tongue.

Of the Reverent Estimation of God's Word.

Of Alms doing.

Of the Nativity of Christ.

Of the Passion of Christ.

Of the Resurrection of Christ.

*Of the worthy receiving of the Sacrament of the Body and
Blood of Christ.*

Of the Gifts of the Holy Ghost.

For the Rogation days.

Of the State of Matrimony.

Of Repentance.

Against Idleness.

Against Rebellion.

[Hac de causa solum retinetur in ecclesia nostra hic articulus, quod "homiliarum tomos piam ac salutarem doctrinam continere" prædicat. Legum autem et institutorum, ad regnum Anglicum pertinentium, rationem qualemcunque habere, huic ecclesiæ (rebus ita ut nunc se habentibus) non convenit. Ideoque homilias supra dictas in ecclesiis recitari nolumus; donec, tempore idoneo, recenseantur, omnibusque, tum verbis et dictionibus obsoletis, tum loci rationibus, expurgentur.]

36. *De Episcoporum et Ministrorum consecratione.*

Libellus de consecratione Episcoporum, et de ordinatione Presbyterorum et Diaconorum, editus nuper Conventionione Generali hujusce ecclesiæ, viz. A. D. M, DCC, XCII, omnia ad ejusmodi consecrationem, et ordinationem necessaria continet; et nihil habet, quod ex se sit, aut superstitiosum, aut impium: itaque quicumque juxta ritus illius libri consecrati, aut ordinati sunt, ritè, atque ordine, atque legitimè, statuimus esse consecratos, et ordinatos.

37. *De civilium Magistratum auctoritate.*

In omnibus causis ad civiliaspectantibus, civilium Magistratum auctoritas ad cives omnes pertinet; sive illi clerici sint, sive laici: quæ res autem ad cœlestia solum attinent, in iis nil valet. Hoc denique persuasum habemus, esse omnium qui se Christianos profitentur, auctoritati civili, rite et ut per leges liceat constitutæ, reverenter et ex animo obtemperare.

38. *De illicita bonorum communicatione.*

Facultates et bona Christianorum non sunt communia, quoad jus et possessionem; (ut quidam Anabaptistæ falsò jactant): debet tamen quisque de his quæ possidet, pro facultatis ratione, pauperibus eleemosynas benignè distribuere.

39. *De jurejurando.*

Quemadmodum juramentum vanum et temerarium, a Domino nostro Jesu Christo, et Apostolo ejus *Jacobo*, Christianis hominibus interdictum esse fatemur: ita Christianorum Religionem minime prohibere censemus, quin, jubente magistratu, in causa fidei, et charitatis, jurare liceat; modò id fiat juxta Prophetæ doctrinam, in justitia, judicio, et veritate.